CLARISSIMO ET PRÆSTANTISS. VIRO M. ANTONIO DE CAPPE

Regis & Reginæ Consiliario & Medico, studiorum meorum fautori optimo liberalissimoq. CLAVDIVS RABEVX S.

COGITANTI mihi (vir clarissime, & mearum rerum, ac studiorum præsidium, atque ornamentum vnicum) quàm admirabili sapientiâ, quàm insigni ordine, quàm mirâ ac distinctâ rerum omnium varietate Naturæ auctor constituerit hanc vniuersitatem, mirifica subiit animum admiratio, quod in magnâ illâ vastâque rerum præstantissimarum mole, in magno illo mundo, alium paruum mundum seu μικρόκοσμον (ἄνθρωπον scilicet) in quo eximiâ quadam & excellenti arte quicquid in vastâ illâ mundi reperitur machinâ effinxit: immo tantò hunc illo fecit præstantiorem, quantò superiores illæ Sphæræ, & cælestes orbes, his sublunaribus & caducis dignitate antecellunt, cuius excellentia & eximia species, vel ex eo intelligi potest, quòd Naturæ opifex Deus, illum, quasi Deum quendam, non immortalem quidem illum, nec vndequáque tamen mortalem huic tantæ & admirabili machinæ voluerit, quasi Monarcham quendam ϗ ἕνα κοίρανον præesse: & licet superiora illa à purissimis mentibus, *vt nonnulli philosophorum disputant, moueri credantur: nulla tamen ratione cum μικροκόσμῳ seu homine possunt aut debent comparari, cùm superiora illa non à suâ & propriâ, sed vicariâ quadam & impellente formâ extrinsecus moueantur: hic verò beneficio propriæ formæ seu ἐντελεχείας, vegetet, sentiat, intelligat. Quod nemini mirum videri debet, cùm vel vilissima animalcula, siue vt aptiore vocabulo ζωΐδια τὰ λεπτότατα, ob vitæ præstantiam, vel cælestibus illis corporibus ἀψύχοις, longè antecedant. In homine igitur seu μικροκόσμῳ illo nostro admirabilis est pars illa diuina, in quâ* mens memoria, & voluntas, *diuinitatis χαρακτῆρες expressi relucent mirificè. Sed his in præsens omissis, cùm animi mei cogitationes refero ad alteram illam, quæ è terrâ concreuit, partem, cuius cùm oculis non tam corporeis, quàm mentis conspicio, admirabilem structuram ac fabricam penitus obstupesco. Quis enim cognitâ humani corporis eximia fabrica singulis membrorum sitibus & officiis, humorum suauissima, concordique discordiâ, coloris suauitate iucundâ, non admiretur, non laudet Auctorem seu δημιουργὸν, qui hæc tantâ arte, tantâ sapientia & prudentia, est fabricatus? Quis non miretur quæ ex humorum perfectissimo existit temperamento εὐεξία, optima & saluberrima cum animi tum corporis constitutio & sanitas? Hæc qui videt, & miratur, quî fieri potest, vt non pariter suspiciat præstantissimam Medicinæ scientiam, quâ sanitas siue τὸ ὑγιὲς, vel conseruatur, vel amissa, magna dexteritate & ingenio summorum Aesculapiorum, in quibus tu (vir clariss.) non postremum tenes locum, reciperatur, & reciperata, saluberrima victus seu diætæ ratione confirmatur? vt iure optimo, eùm virum, qui μικρόκοσμον nostrum tam eximię scientiæ beneficio aut conseruat, aut sæpe etiam quasi à mortuis excitat, ἰσόθεον, & quasi mortale quoddam in terris numen agens, Medicorum Princeps appellarit Hippocrates. Quorum cùm animo meo insideret altissima cogitatio, animum ad eam scientiam appuli, méque totum illi dedi, quâ mortalibus immortalitatem dari quodammodo, & pænè depositis vitam reddi viderem: in cuius scientiæ penetralia, quò mollior mihi expeditiórque esset aditus, tu vnus, (vir clariss.) immortalitatis laude decorandus extitisti, qui naujculam ingenij mei adhærescentem scopulis πενίας, benignitatis tuę vberrimâ vndâ eripuisti, tu vela fauoris tui aurâ lenissima implesti, tuo factum est quasi præsentis cuiusdam ac tutelaris numinis beneficio, vt si non portum, saltem stationem aliquam, ab egestatis ventis procellisque procacibus tutam contingeret. Ingratus itaque fuissem, & luce prorsus indignus si tibi (vir clariss.) cuius ope & auxilio tot Syrtes & vada superaui, & superabo imposterum, hæc ἰατρικὰ θεωρήματα, quasi seruati ex vndis votiuam tabellam in Memorię templo non appendissem. Vale decus pręsidiúmque studiorum meorum.* E Musęo meo Cameracensi Anno salutis cIↃ. IↃcIII.

AD QVODLIBETARIAM. 342

QVÆSTIO MEDICA.

MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA DIE IOVIS XXIII. IANVARII IN SCHOLIS MEDICORVM PARIS. M. PETRO LAFFILÆO DOCTORE, REGIS MEDICO ET DECANO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An corpus temperatum saluberrimum?

CORPORVM naturalium quanta in mixtione, tanta est in temperie varietas. Ad mixtionem quatuor elementa inter se contraria proportione quadam ita concurrunt, vt vel vnum aut duo victis aliis exuperent, vel confectâ iam pugnâ æquè omnia vincant & vincantur. Hinc duplex resultat temperamentum. Æquale vnum in quo quatuor qualitates primæ ad æquilibrium miscētur: Alterum inæquale, in quo vna aut duæ prępollent, citra tamen actionis læsionem. Illud partim pondere, partim Iustitiâ æstimari debet, eiusque critirium duplex est, ratio & sensus. Quam ob causam cutem manus temperatam esse oportuit, vt sensibilium omnium quædam veluti norma existeret tactúsque instrumentum, quo cæteris homo excellit animantibus.

QVOD in maiore mundo est elementum, sanguis est in microcosmo quatuor complexus humores: quibus corpus constat & alitur. Qui quamdiu naturæ legibus tenentur sanitatem conseruant: aliàs morbos procreant. Ad eorum symmetriam requiruntur exacta mixtio in venis, natiua singulorum temperies communibus elementis analoga, & certa proportio, quæ in sanis & temperatis ea esse debet, vt sanguis plurimùm excellat, ab hoc pituita, deinde succus melancolicus, flaua bilis sit paucissima. Peccant autem quantitate, qualitate, & mixtione. Itaque si sanguis exuperet, plethoram, si reliqui humores, cacochymiam pariunt. Qualitatis vitium duplex est, simplex mutatio in consistentiâ aut temperamento, & putredo quæ fit ab alieno calore natiuum corrumpente. Mixtionis prauæ species est ἀπόκρισις, cùm humores extra vasa effluunt, aut foras vacuantur.

CÆTERA medendi sunt quidem instrumenta: sed vnicum artis & operis subiectum est corpus humanum. Cui natura vt formam nobilissimam tribuit, sic & temperiem optimam, mediam in toto genere animalium, moribus congruam, & functionibus edendis aptissimam. Quæ tamen in specie hominum magnam habet latitudinem. Inter quos maximè temperatus habetur vir quadratus & σύμμετρος, qui eleganti formâ, facultatum omnium robore, morum ingenuitate, patiendi difficultate, & vitæ longitudine cæteris præstat. Nec prorsus vnquam primam illam & insitam ab vtroque parente transfusam naturam exuit, quantumuis ætatis decursu, tempore, victus ratione; mutatione loci & consuetudine immutetur.

NEC solùm subiecti, sed etiam adiunctorum bona temperies ad valetudinem conducit. Sic inter ætates adolescentia temperatissima est, & ad omnem voluntate susceptam actionem aptissima. Pueri præstant quidem innato calore, sed nimio humore obruuntur. Iuuentus biliosa est & febribus acutis opportuna. Consistens ætas melancholicis pathematis affligitur. Senectus frigida, morborum iliadem inuehit, ex quibus destillationes & raucedines ferè comitantur ad mortem. Ex temporibus, Ver vt temperatissimum ita saluberrimum. Autumnus contrà, inæqualis & tabidis perniciosus. Æstas calida sicca bilem acutis morbis; hyems frigida humida chronicis fomitem pituitam suppeditat. Inter regiones vt temperies optima Galliæ, sic & salubritas atque fœcunditas iurè tribuitur.

QVÆ ab optimâ crâsi deflectit intemperies licet homini grauis non sit, minùs tamen tuta est, aut stabilis, vt quæ à similibus causis facilè intendatur, pluribúsque damnis obijciatur. Sic calidę & siccæ naturæ æstate peius habent, frigidę humidæ hyeme. Qui sunt calidi humidi putridis febribus sunt magis obnoxij. Corpus rarum ab externis causis faciliùs oblęditur, densum ab internis. Ventre calidi, frigidę sunt carnis & graciles. Frigus actionibus animę incommodat. Caloris abundantia iracundos facit. Qui sunt πτερυγώδεις ad tabem sunt procliuiores. Balbi Diarrhœâ maximè corripiuntur. Pinguis venter sensum non gignit tenuem: quòd adeps sit frigoris soboles. Denique qui sunt naturâ crassi, breuiore vitâ fruuntur quàm graciles. Quibus incommodis vir temperatus potentiùs resistit, si tantum prudentiæ ad cauendum malum adhibeat, quantum virtutis habet ad illud retundendum. *Ergo corpus temperatum saluberrimum.*

Asserebat CLAVDIVS RABEVX Hæduensis Anno Domini 1603.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Bonauentura Hachette.
M. Petrus Collier.
M. Franciscus Ellain.
M. Germanus Clersselier.
M. Robertus le Secq.
M. Richardus Merces.
M. Ioannes Martin Med. Red.
M. Claudius Bazin.
M. Henricus Blacuod.

F.M.P.